

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

Parisiis, 1644

Aliud. Cap. XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15241

Hebr. 1.
Ioan. 5.
Gen. 35.
*Gen. 28.
¶ 32.*

enim, inquit, *Deum facie ad faciem, & saluata est anima mea.* Deus namque est natura Emmanuel. Dicitur etiam facies Dei: nam est figura substantiae Patris. Ita se vocabat apud Iudeos, cum diceret de Deo & Patre: *Neque * faciem eius vidistis, & verbum eius non habetis * speciem in vobis manens; quia quem misit ille, huic vos non creditis.* Quod vero Deus verus sit homo ille qui luctabatur cum Iacob, sacra litera iterum faciet fidem. *Dixit enim, inquit, Dominus ad Iacob: Surge, ascende in locum Bethel, & habita ibi, & fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi cum fugeres a facie Esau fratris tui.* Reuertens enim ex Melopotamia, deinde timens Esau, trahit Iacob pueros & omnia vasalia sua; subremans autem solus, & luctabatur homo cum eo.

Aliud. CAP. XXVI.

Dan. 7.
Philipp. 2.
Dan. 7.

BEATVS Daniel horribilem nobis visionem exponens: *Videbam,* inquit, *in visione noctis, & ecce cum nubibus cali quasi filius hominis veniens, & usque ad vetustum dierum peruenit, & in conspectu eius adduxerunt eum: & ipsi datus est principatus, & honor, & regnum; & omnes populi, tribus, & lingue ipsi seruient: potestas eius, potestas in eternum, que non transgredietur, & regnum eius non corruptetur.* Audis quemadmodum non hominem se vidisse simpliciter commemorat, ne vnu ex nobis & iuxta nos Emmanuel esse credatur, sed quasi filium hominis? Cum enim Verbum natura sit Deus, in similitudine hominum fuit, & inuentus est habitu ut homo, ut in eodem utrumque intelligatur; & neque homo nudus, nec Verbum absque humilitate vel carne: tamen ei principatum & honorem, quem semper habebat, datum esse commemorat. Ait enim, quod *omnes populi, tribus & lingue ipsi seruient.* Cum igitur etiam in humanitate positum vnigenitum Dei Verbum, seruientem habeat creaturam, & Patris principatum & suum; peperit autem secundum carnem ipsum sancta Virgo, quomodo non intelligitur sancta Virgo *de teō*?

De Christi passione; & quod utile sit, quod secundum aliud & aliud de uno & eodem dicitur, nec dividimus in duo.

CAP. XXVII.

Hebr. 2.
1. Cor. 15.
1. Petr. 4.

SANCTVS Paulus salutarem passionem nobis exponit. Ait namque: *Nunc gratia Dei pro omnibus gustauit morte.* Nec non etiam: *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi; quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die.* Ad hoc etiam sapientissimus Petrus: *Christo,* inquit, *passo pro nobis carne.* Cum vnum igitur credamus Dominum nostrum Iesum Christum, id est, in humana forma conspectum, siue hominem factum iuxta nos Deum Verbum; quoniam modo & passionem ipsi deputemus, & impassibilem seruemus ut Deum? Ergo passio quidem dispensationis erat, sua quidem ducente Deo Verbo ea quæ sunt propriæ carnis, propter inenarrabilem unitatem; manente vero extra passionem, quantum ad ipsius naturam pertinet. Impassibilis enim Deus est. Neque id mirum, cum & ipsam animam hominis videamus, si quid corpus passum fuerit, extra passionem quidem manentem,